



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

17. An quando Edictum fundatur in præsumptione, & ego scio
præsumptionem in tali casu deficere, teneatur ad denunciandum? Ex part.
1. tract. 4. res. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XIV.

An femina excusetur à denunciatione, si timeat grave damnum in bonis temporalibus amici maximi?
Et quid, si in se ipsa metuat grave damnum in fama, vita, aut bonis temporalibus propriis, vel mariti, filiorum, aut fratris? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 36.

§. 1. **A**ffirmativè responderet Sanc. in select. disp. 11. n. 55. asserens deobligari feminam à denunciatione, si grave damnum metuat in fama, vita, aut bonis temporalibus propriis, vel mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi. Ita ille.

2. Sed in editione novissima contrarium asserit Freitas de Confess. solic. q. 12. n. 19. dubitat enim, & merito, de exemplo amici posito à Sancto, si in bonis temporalibus, damnum timeatur, licet namque in alia materia id locum habere possit, ex traditis per Sanch. lib. 4. disp. 4. n. 9. atamen in hæreseos crimine major amicus est Deus, & dici solet amicus usque ad aras, nam sententia Sancti admittit rari quod teneatur hæreticum deferre, si esset consanguineus, aut amicus, cum propter hæresim omnia bona amittat, ex cap. cum secundum de heret. in 6. Ita Freitas. Non desinam hic adnotare celebrem doctrinam ejusdem Freitas ibidem num. 21. Tunc ex amissione bonorum temporalium quis excusatur à denunciatione, quando statum mutare ex illa cogatur: unde ait ipse num. 24. cum in casus contingentia consultus, utrum creditor magnæ quantitatis debitorem, sed hæreticum, ad Inquisitores deferre teneretur, à delatione excusari putabat, propter difficultatem & dilationes petendi debitum à filco, Respondi non obstante ea difficultate ad denunciandum teneri, tum quia per eam dilationem nec statum delator mutabat cum esset dives, nec timor ille justus erat ad excusationem, nam metus, qui excusat, debet esse injuste illatus & instans. Hæc ille, quæ quidem sunt muleum notanda, & juxta hæc intelligenda sunt ea quæ superius dixi in resol. 19.

Quæ hic est
Ref. antecede-
ntis.

RESOL. XV.

Utrum quis teneatur denunciare seipsum?
Et an criminosis, & complicibus delicti teneantur prodere seipsum propter hæreticum dogmatizantem, & eos docentem hæresim?
Et an in ceteris casibus criminosis ex Edicto Inquisitorum, teneantur prodere se ipsos, vel possint absolvi per Cruciatam, vel per privilegium Regularium? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 8.

Sup. hoc inf. §. 1. **N**egativè respondent Doctores infra citandi: quia nemo tenetur prodere se, ut habetur in cap. aliquando de pen. dist. 1. & ita docet Sanctarell. tr. de heresi, c. 11. dub. unic. n. 19. qui citat Pegnam, Simancham, & Suarez, quibus ego addo Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 19. §. 5. n. 5. & p. 4. c. 6. n. 5. §. 1. Rice. part. 5. decis. 278. n. 1. Homobonum in exam. Eccles. p. 2. tr. 11. cap. 4. §. 4. Ioan. Valerum in different. utriusque fori, verb. heresi, diff. 1. n. 4. Rodericum Acugna in tr. de Confess. solic. q. 10. n. 4. & q. 21. n. 2. & ibi Freitas in addit. n. 13. & 21. Lorich. in thes. Theol. tom. 1. verb. denunciatio, n. 3. Portell. in addit. ad dubia regul. verb. sollicitare feminas, n. 15. Zanardum in direct. Confess. par. 3. in fin. Molfesum in summa tom. 1. tr. 7. cap. 24. n. 24. Megalam in 1. part. lib. 1. cap. 5. n. 30. & Zerolam in praxi Epist. part. 1. verb. heresi, q. 35.

2. Aliqui tamen ex supradictis DD. limitant hanc sententiam in casu, quo pro bono communi quis te-

neretur vitam propriam ponere: & ideo amissis elapsis in quadam nostra Italia nobilissima civitate, doctissimi Theologi obligaverunt denunciare quandam hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæresim, quamvis ipsi denunciantes fuerint discipuli ejusdem hæretici, & sic complices delicti. In ceteris casibus criminosis ex Edicto Inquisitorum secundum mentem horum Doctorum, non tenentur prodere seipsum: sed asserunt aliqui, quod debent absolvi à Confessario per Cruciatam, vel per Regularium privilegia. Sed nos de hoc alibi. Ex ista questione sequuntur alia, scilicet.

RESOL. XVI.

An saltem delicti criminosis teneantur denunciare complices?
Et quid in causa heresi?
Et an femina consentiens in sollicitatione facta in confessione teneatur Confessarium sollicitantem denunciare?
 Ex p. 1. tr. 4. Ref. 9.

§. 1. **R**espondent aliqui negativè: quia, sicut aliqui asserunt, non tenetur denunciare seipsum; ita neque quis manifestare socios, quin manifestet seipsum, nam si v.g. Petrus denunciaret Paulum complicem; postea ejusdem Paulus interrogatus, ut reus tenebatur denunciare Petrum, Ergo Petrus denunciaret Paulum virtualiter denunciaret seipsum. Et ita docet Suarez tract. de fide, d. 1. §. 10. sect. 4. n. 18. qui citat Pegnam, & Simancham. Idem docet Megala in 1. p. lib. 1. c. 5. n. 30. & novissime doctus Portell. in addit. ad dub. regul. verb. denunciatio, n. 10. [Complicem delicti nunquam tenetur quis denunciare, ex vi Edicti, in quacumque materia fuerit complexus: Unde potest colligi, quod si femina fuit sollicitata ab aliquo Confessore in Sacramento Confessionis, & ipsa ibi consentit cum illo in actibus turpibus, talis femina non tenetur denunciare de illo Confessore.] Ita ille. Et verb. sollicitare feminas, n. 25. hic etiam asserit: [Si femina intra Confessionem sollicitata consentit, non tenetur denunciare de Confessore. Probat ex dicto communi Doctorum, quod socius criminis, vel complexus, non tenetur denunciare de socio delinquentem cum periculo suæ infamiae: non enim tenetur prodere se, At ista femina, denunciata de tali Confessore, exponit periculo suam famam: poterit enim Confessarius in Tribunali fateri, se actus inhoneustos cum illa habuisse: illa non repugnat: quod foret feminam prodere se. Ergo, &c. Limitant verò hanc sententiam in casu heresis; eo modo tamen, ut *superiori questione dictum est.

2. Notandum est tamen, his non obstantibus, aliquos Doctores asserere, feminam consentientem sollicitationi factæ in Confessione, teneri Confessarium sollicitantem denunciare, etiam si illa sit delicti complexus. Ita Acugna in tract. de Confess. solic. q. 10. n. 10. Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. n. 10. Peirinus in privil. Minim. tom. 2. Confess. 4. Gregor. XV. §. 3. n. 11. Sanctarell. tract. de heresi, cap. 44. dub. unic. n. 12. & alij. Non tamen tenetur proprium consensum manifestare: nec potest super hoc ab Episcopo, vel Inquisitore interrogari. Et in casu, quo penitens, qui consentit, veller consensum manifestare, non debet scribi in Actis, tanquam res non spectans ad Tribunal Inquisitionis. Ita Peirinus, & alij, ubi supra.

RESOL. XVII.

An quando edictum fundatur in presumptione, & ego sita

Ex Edicto DD. Inquisit. &c. Ref. XVIII. &c. 385

presumptionem in tali casu deficere, teneat ad denunciandum? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 10.

Negative responder Riccius p. 3. dec. 278. n. 6. & ante illum Ioan. Valerus in differ. iurisque fori, verb. heresi, differ. 1. n. 4. ubi agens de denunciationibus faciendis, vel non faciendis ex Edicto Dominorum Inquisitorum sic asserit: Quinto fallit in his in quibus Edictum se fundat in presumptione, ut in Chiromanticis, Necromanticis, & aliis, qui ex inspectione simulacrorum, vel linearum manuum, aliqua praedicunt: si enim aliis ego certum scio, non habere tales pactum ullum cum Demone, non teneor denunciare: nam motus Sixti V. circa hoc editus fundat se in presumptione: in dubio autem tenetur quis denunciare. Ita Valerus. Quod autem lex fundata in presumptione non obliget, si praesumptio cessat, probant ex multis Homobon. in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 8. g. 3. & probabilem hanc sententiam vocat Becanus in summa Theol. p. 2. tr. 3. c. 6. concl. 4. n. 5. & alij.

2. At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam docet Freit. in addit. ad tr. Episc. Acugna, de Confess. soluc. g. 2. n. 26. ubi asserit, iudicium illud discernendi circa suspensionem de fide, quae resultat supposita Pontificis, vel alicujus Edicti praesumptione, non competere Confessariis, vel aliis, sed Inquisitoribus. Vnde licet Bulla Greg. XV. fundetur in praesumptione, ut patet in illis verbis: Nos in animum inducere nequeunt, sequitur iudicium discernendi circa suspensionem de fide Confessarij sollicitantis, non competere, nisi Inquisitoribus. Et haec Deus scit, cum quanto labore collecta satis sufficiant, circa obligationem denunciandi ex vi Edicti Dominorum Inquisitorum, ex quibus Confessarij infinitos casus in praxi quotidie extricare poterunt. Nunc verò devinciendum est ad aliquas dubitationes elucidandas circa denunciations faciendas, ex sollicitatione facta in confessione, ex vigore Bullarum Clem. VII. Pauli V. & novissimè Greg. XV. idem quaeritur:

RESOL. XVIII.

An femina Edicti ignara teneatur denunciare sollicitantem statim, vel intra eosdem dies, quos Edictum signaverat?

Et an femina conscia Edicti, & non denunciata intra terminum excommunicationem incurrat a qua absolvi non possit per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 26.

Affirmativam sententiam docet Acugna tr. de Confess. soluc. g. 2. n. 4. ubi sic ait: Praemitto, excommunicationis consumptio termino non consumptam denunciandi obligationem, imò teneri spatium non detur, ut extinguatur, sed ne differatur obligatio. Propterea si Edicti quis ignarus, aut iusta aliqua armatus excusatione, non intra praefixum terminum compareat, mandati tandem jam gnarus, & impedimentis illis iustis jam expeditis comparere tenetur, atque non teneri statim ac sciat, probabile est, sufficiens erit iudici se sistere testimonium dicturum intra æqualem terminum, qui per Edictum conceditur, quia non debet pejoris esse conditionis. Ita Acugna.

2. Sed Ioanni Sancio in selectis disp. 1. r. n. 59. verius videtur obligare Edictum ante alios dies ab illis, quos antea signaverat, & teneri feminam denunciare cum primum commode possit; sicuti teneretur denunciare ex præcepto naturali opportunitate adveniente, nec ob id est pejoris conditionis femina quae ignoravit

Tom. V.

Edicti publicationem, cum tam ipsi quam alii terminus ad denunciandum æqualis sit designatus, imò est melioris conditionis per accidens, cum ob ignorantiam Edicti excusetur ab obligatione denunciandi per amplius tempus, quam femina Edicti gnara. Haec Sancio qui tamen concedit opinionem affirmativam esse satis probabilem, quam teneat etiam Fillius, tom. 1. tract. 14. c. 2. n. 41. & Suarez de cens. disp. 20. c. 1. n. 14. loquentes in communi de illo, qui tenetur revelare aliquid sub poena excommunicationis.

3. Notandum est tamen, quod si excusata fuisset femina denunciare ob aliquod impedimentum intra terminum Edicti, dum esset illius conscia, non oportebit illi novum terminum concedere, quia habuit scientiam ut posset toto illo tempore deliberare quid & quomodo agere oporteat, & consulere. Ita Suarez, & Sancio ubi supra, licet in hoc dissentiat Freitas in novis. addit. de Confess. soluc. g. 2. n. 41. ut infra patebit. Nota etiam hic, quod femina conscia Edicti, & non denunciata intra terminum, excommunicationem incurrit, a qua absolvi non potest per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio, aut per feminam non sciet, quin fiat, cū lata pars non sit adepta satisfactione, videlicet Inquisitores, quorū iustū mandatum non est impletū.

Sup. hoc sup. in tr. 8. Ref. 32. Notant ad med. vers. quia asserit, & inf. in Ref. 23.

RESOL. XIX.

An qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti non denunciavit intra terminum, teneatur postea denunciare? Et an in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos Edictum signaverit? Et an qui non denunciavit intra terminum praefixum in Edicto incurrat novam excommunicationem, vel tantum maneat in eadem? Et an si in talibus Edictis jubeatur denunciare intra sex primos dies, ex praxi consuet inter eos non numerari diem primum? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 96. aliis 95.

Affirmativè responder Fillius, tom. 1. tract. 14. c. 2. n. 42. qui citat Suarez, idem etiam docet Sancio in selectis disp. 1. r. n. 59. qui citat Acugna, & Freitas, vide etiam Antonium Ragucium in var. disp. Eccl. tit. de monit. g. 97. n. 2. Et ratio est, quia terminus non est in Edicto positus ad faciendam, sed ad differendam obligationem. Ex his inferitur, quod excusatus ob ignorantiam, ad non revelandum intra praefixum terminum, si postea illi constet de Edicto, teneatur ad revelandum; quia obligatio adhuc durat.

2. Non reticeam tamen contrariam sententiam, docere Vgol. de potest. Episc. cap. 45. §. 5. n. 1. Philiar. de off. Sacer. tom. 1. p. 1. lib. 3. cap. 34. Amillam ver. excomm. n. 34. & Tabienam ver. excomm. 4. n. 5. ubi sic asserit. Ex his sequitur quæstio ista, scilicet est facta monitio per Episcopum, ut qui habet instrumenta Titij, revelet infra sex dies, Petrus habet unum, & est absens, & ignorans, post sex dies fit excommunicatio, deinde venit Petrus, nunquid incurrit? Dicitur quod non, quia ultra terminum statuentis, nullum habet vigorem. Ita ille, & hanc sententiam novissimè docet noster Naldus in sum. ver. revelare, c. 2. ubi ita ait: Revelare jubens Edicti superioris delictum aliquod occultum sub poena excommunicationis intra certum tēporis spatium non comprehendit subditos, qui tempore Edicti degunt extra territorium excommunicantis, & similiter qui promulgationis Edicti tempore erat impotens, vel ignarus Edicti, vel aliis legitime excusatus, cessante ejusmodi excusatione post elapsum terminum, non incidunt in illam excommunicationem, quæ vires suscipit tempore suæ publicationis, & ideo nova sententia opus esset ad eos excusatos ejusmodi censura afficiendos. Sic Naldus, sed tu à communi sententia ne recedas.

K x

3. Nota